IOANNIS CHIFLETII
CANONICI TORNACENSIS
AQVA VIRGO,
FONS ROMÆ CELEBERRIMVS, ET PRISCA RELIGIONE SACER.
OPVS ÆDILITATIS M. AGRIPPÆ IN VETERE ANNVLARI GEMMA.

Zeno Imperator *Lege* IX.*Cod.de Aquæductu.lib.*XI.

DILIGENTER inuestigari decernimus, qui PVBLICI AB INITIO FONTES.

EMINENTISSIMO PRINCIPI ANTONIO BICHO, S. R. E. CARDINALI.

ERVNT fortassis, EMINENTISSIME PRINCEPS, qui quod Sacræ Purpuræ Tuæ oblatum venio, profanum dicant, nec viro Ecclesiastico attingendum; iam dudum aruisse Fontes, quos Idolothytis cæca Gentilitas infecit. Verùm ego nec molestè fero, vt qui nesciunt talia grauissimos sanctissimosque homines scriptitasse, me scribere mirentur; ab illis autem, quibus notum est quos quantosque Auctores sequar, facilè impetrauero, vt errare me, sed cum illis sinant, quorum non seria modò, verùm etiam innoxias remissiones imitari laudabile est: *Arbitror*, inquit Tullius, *hæc à nobis ita spectari oportere, quanti eorum iudicio, qui studiosi sunt harum rerum, æstimantur.*

Plinius l 8. Epist. ad Romanum, de Clitumno Fonte.

Lib. 4. in Verrem.

Nec eſt quod verear, ne me non ſatis deceat, quod decuit ANTONIVM AVGVSTINVM, FVLVIVM VRSINVM, LÆVINVM TORRENTIVM, LAVRENTIVM PIGNORIVM, IOANNEM HEMELARIVM, NICOLAVM FABRICIVM PEIRESKIVM, atque etiam Tornaci inter noſtros, HIERONYMVM VVINGHIVM, DIONYSIVM VILLERIVM, ſacræ profanæque Antiquitatis peritiſſimos: quorum exemplo ſi cui non fuerit factum ſatis, ad EMINENTIÆ TVÆ tribunal appello, Magne Princeps, qui me ſponte, & quadam naturæ propenſione currentem, magis etiam ſolitâ Tuâ benignitate incitabas ad has qualeſcumque amœnas atque antiquarias obſeruationes animoſiùs & conſtantiùs perſequendas. Huc accedit Illuſtriſſimi Pronuntij HIERONYMI DE VECCHIIS ſtimulus & cohortatio, qui mihi identidem auctor eſt pro ſuâ in litteratos omnes poteſtate, atque eruditionis principatu, vt ire patiar in Romanam lucem hæc veluti quædam præexercitamenta humanioris eruditionis, neque ita profanæ, quin aliquo modo ad altiorem

ac cæleſtem cognitionem nos ducant, & Religioni ancillentur. M. VIPSANIVS AGRIPPA, de quo primùm dicam, Hieroſolymâ cùm veniſſet, Deo dona dedit, Hecatumbem in templo Domini immolauit. AQVAM Virginem VIRGO ipſa ſanctiſſima Deipara ſuis beneficijs auctam voluit, ſanctiſſimi Christi Vicarij reſtitutam, ornatam; vt meritò κορυφὴ ὕδατος ſcandat in ſublime,& ipſum quoque ſibi vindicet Cælum; tantique fuiſſe videatur deiectis arcubus Fontem inglorium ſerpſiſſe, vt illi tales reſtitutores emendatoreſque contingerent. Tute, CARDINALIS EMINENTISSIME, cui tanta dignitas Sanctiſſimi Auunculi beneficio, Cæli ipſius conſilio tributa, quæ Bruxellæ Pronuntius, atque Adminiſtrator Apoſtolicæ Iuriſdictionis, quæ Monte Ilcineo Epiſcopus, & Auximi, principe vrbe Piceni, quæ Romæ Cardinalis, Vrbini modò Legatus iura dabis, eâ Ciuitate, in quâ, referente Procopio, FONS *erat vnus,ex quo omnes incolæ aquabantur*;cuius auſpicio, priſco more, atque etiam in ſacris vſurpato, precabantur veteres nouo Regi per- *Lib. 2. Rer. Gothicar.* *Pineda de Rebus Sa-*

ennitatem, & felicitatem ſemper clari atque in dies creſcentis Principatus, qualem voueo tam conſtanti voluntate, quàm hoc exiguo, ſed æternùm volubili argumento. Tornaci Kalendis Maijs, M. DC. LXII.

EMINENTIÆ TVÆ

Obſequijs deuotiſſimus

Ioannes Chifletius.

AD IOANNEM CHIFLETIVM CANONICVM TORNACENSEM, DE EVVLGANDA AQVA VIRGINE, NICASII FABII CANONICI ATQVE OFFICIALIS TORNACENSIS CARMEN ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟΝ.

ERrabam tepidæ noctis in meridie,
Quà gelidus Anien veteris Albulæ sinum
Excipit: heic arua dum pererro deuius
Opima, tectum in proximo sublimibus
Vidi columnis stare; Delubrum fuit.
Relligio pectus perculit; iniui tamen.
Eccum sub oculis tum mihi signum Deæ
Palmaris, quadro pulchrè insistens marmori,
Atque ori digitum, pol, pudenter admouens.
Illi formosa facies, & qualem velit
Depositâ habere Pallas casside: defluit

Vestis

Veſtis decenter, liberis laciniјs.
Infra Ædem Fons ſonoris emicans aquis
Opima longè vitreus irrigat ſata.
Ipſo in veſtibulo, & proximè ad Diuæ pedes,
Duo precantes vota ritè nuncupant,
Dijs agentes gratias Aquarijs.
His ego precator accedendo tertius
In vota linguam ſupplicem ſoluo, inquiens:
O Diua, aut Diuæ Virgo quàm ſimillima,
Inferre tacitum liceat ad latices pedem:
Vagus erro nocte opacâ, contuſus pedes.
Mî volupe ſedare ſitim, volupe originem
Sacri huius Fontis, huius & Numen loci
Noſcere. *Tunc illa viſa fari protinus:*
Aquas cupitas vt lubet, quantum lubet,
Sumito; quid, hoſpes, me compellas eloqui?
Quid me, quid audes de me ſciſcitarier?
Dicor AQVA VIRGO, Dominæ Vrbis delicium,
Nec addo plura: plura ſi tamen cupis,
Eſt Belgas inter πάνσοφος CHIFLETIVS,
Scientiarum promus & condus, Bonam
Cui PIETAS ERVDITA Mentem contulit.
Illum olim fouit impubem Chryſopolis,
Chryſopolis Sequano circinata Dubio,
CHIFLETIORVM litteratorum parens.

Aſt

Aſt æui nunc maturum Bellatrix tenet
Belgica, Scaldis vbi Neruium ſtringit latus,
Celſaſque turres Turnacum attollit polo.
Hunc anquire virum: Numen atque originem
Ille tibi noſtram referet; Ædem nomini
Quis noſtro poſuit; referet noſtram (vt Virginem
Decet) procantis Herculanij fugam.
Noſtro dicatam promet ille Nomini
Gemmam, Gemma ipſe Litteratorum vnica.
Sic effata Dea eſt, preſſoq; ore deſtitit.
Agedum CHIFLETI, *grande Muſarum decus,*
Dudum eſt, pol, dudum, ex quo quaſitus es mihi,
Quaſitus, & repertus, Camœnis fauentibus.
Non eſt litandum Sacris Angeronia:
Obſequere monitis Diua; aut certè ſenties
Dignum eſſe Gyaris, iuſſa qui temnit Deûm.



IOANNIS CHIFLETII CANONICI TORNACENSIS

AQVA VIRGO,

FONS ROMÆ CELEBERRIMVS, ET PRISCA RELIGIONE SACER. OPVS ÆDILITATIS M. AGRIPPÆ IN VETERE ANNVLARI GEMMA.

IAM multa & abſtruſa, & ignota in Gemmis antiquis reperiuntur, vt in ijs interpretandis ſæpè putarit ludi operam Ioſephus Scaliger: tanta eſt earum elegantia, tam multiplex argumentum. *Lib. 3. Epiſt. 224.* Sed illud liquidius fortaſſis erit, quo Fontem quaſi digito in Gemmâ oſtenſuri ſumus, è quo clarioris eruditionis latices profluant.

Achates eſt Annularis è Cimeliarchio V. C. ALBERTI RVBENII, quem Bruxellæ abhinc quadriennium Reipublicæ litterariæ, in ipſo iuuentutis flore, mors inuidit. Dicere vix poſſum, quantoperè ſummum illum virum ſuſpexerim dilexerimque. Regi in Conſilio ſanctiori à Secretis fuit, quia nihil altius voluit: Sereniſſimo Archiduci LEOPOLDO, Belgarum & Burgundionum Gubernatori, gratus acceptuſque, honeſtam quietem, atque Exedram Philoſophicam Senatorijs ſubſellijs con-

ſtantiſſimè prætulit, vel vnico de GEMMA AVGVSTEA & TIBERIANA Commentario futurus immortalis. Neque enim hunc laborem τοῦ μακαρίτου, fidei ſuæ commiſſum nobis eripi patietur Clariſſimus GEVARTIVS, Cæſareus Regiuſque Conſiliarius & Hiſtoriographus, Archigrammateus Antuerpianus, ad ciuium ſuorum Litterarumque gloriam natus.

Sed ad inſtitutum aggredior. In magnificentiſſimis operibus Romæ, & è quibus maximè apparent illius Imperij opes, poſuit Ammianus Marcellinus Aquarum ductus, & Fontium in Vrbem deriuationes. Plinius ipſe, rigidiſſimus alioqui cenſor magnificentiæ Romanæ: *Si quis*, inquit, *æſtimauerit diligentiùs aquarum abundantiam in publico, balneis, piſcinis, domibus, euripis, hortis ſuburbanis, villis, ſpatioque aduenientis extructos arcus, montes perfoſſos, conualles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuiſſe in toto orbe terrarum.* Idem antè: *Dicantur verâ æſtimatione inuicta miracula, quæ Q. Martius Rex fecit. Is iuſſus à Senatu, aquarum Appiæ, Anienis, Tepulæ ductus reficere, nouam à nomine ſuo appellatam, cuniculis per montes actis, intra Præturæ ſuæ tempus adduxit.* AGRIPPA *verò in Ædilitate ſuâ, adiectâ* VIRGINE AQVA, *ceteris corriuatis atque emendatis, lacus* DCC. *fecit: prætereà ſalientes* CV. *Caſtella* CXXX. *complura etiam cultu magnifica: operibus ijs ſigna* CCC. *ærea aut marmorea impoſuit, columnas ex marmore* CCCC. *eaque omnia annuo ſpatio.* Vt non immeritò quærat Seneca: *Vtrùm maius beneficium dederit* M. AGRIPPÆ *pater, ne poſt* AGRIPPAM *quidem notus, an patri dederit* AGRIPPA NAVALI CORONA INSIGNIS, *vnicum adeptum inter dona militaria decus: qui tot in Vrbe maxima opera excitauit,*

Lib.36. cap.15.

Lib.3 de Beneficijs.

quæ

quæ & priorem magnificentiam vincerent, & nullâ posteà vincerentur. Quid autem fuerit Castellum in aquæductibus, Vlpianus ita declarat: *Castellum est receptaculum, quod aquam publicam suscipit.* Cùm itaque ductus aquarum ad viarum diuortia, vel regionum vrbis fines perducti erant, Castella in formarum summo erant, ex quibus aqua per digitos, vncias, & modulos, ædificijs operibusque, & muneribus publicis, ac priuatorum vsibus diuidebatur à Castellario. Erat enim Castellarius Castelli aquarum custos, vt probat Epitaphium vetus: *L. 1. ff. de Aquâ quotidianâ, & æstiuâ. Adde & L. 78. ff. de Contrahendâ Emptione. Marlianus in Topographiâ Romæ.*

D. M.
CLEMENTI CÆSARVM N. SERVO CASTELLARIO
AQVÆ CLAVDIÆ FECIT CLAVDIVS SABBATIS
ET SIBI ET SVIS.

Ipsius AGRIPPÆ, siue animi ingentis imaginem cum coronâ rostratâ præmittere visum est è iaspide viridi Illustrissimæ FELICIS RONDANINÆ [illegible] de-[illegible] singulari humanitati AVGVSTINI FAVORITI, viri præstantissimi, & Romæ Sacro Consistorio à Secretis: *Anteà* ROSTRA *nauium,* inquit memoratus Plinius, *Tribunali præfixa, fori decus erant, veluti Populo Romano ipsi* CORONA *imposita. Postquam verò Tribunitijs seditionibus calcari ac pollui cœpere, sancta omnia profana fecere, tum se pedibus eorum subiere in* CAPITA *ciuium* ROSTRA. *Dedit hanc Augustus* CORONAM AGRIPPÆ, *sed Ciuicam à genere humano accepit ipse.* Virgilius: *Lib. 16. cap. 4. Lib. 8. Æneid.*

Parte aliâ ventis, & Dîs AGRIPPA *secundis*
Arduus agmen agens; cui belli insigne superbum
Tempora NAVALI *fulgent* ROSTRATA CORONA.

Hoc insigni tam præclaro Paterculus addit neminem vmquam Romanorum fuisse donatum. Idque bello Actiaco Agrip-

Carolus Paschalius lib.7. de Coronis cap.4. Agrippam singulari virtute meruisse. Idipsum tradit Epitome Liuij his verbis: M. AGRIPPA NAVALI CORONA *à Cæsare donatus est. Qui honos nemini ante eum habitus est.* Et quidem Seneca vocat *Agrippam* NAVALI CORONA *insignem*, sed non addit, *primum.* Contrà, auctoribus Plinio & Festo, *M. Terentius Varro hanc coronam adeptus est bello Piratico, donante Cn. Pompeio Magno, præter alios, qui eâ quoque è Piraticis bellis donati sunt, & è Siculis, quæ & ipsa Piratica fuerunt.* Eodem Festo auctore A. Attilius hac coronâ donatus est bello quod gestum est contra Nabin: *vt*, inquit, *scriptum est in Carmine Saturnio, quod quidem duces ipsi consueti sunt in Tabellis publicè ponere, in quo nominabantur qui* NAVALI CORONA *donati erant.*

Lib.1. Fastor. Ouidius hac coronâ Pacem redimit:

> FRONDIBVS ACTIACIS *comptos redimita capillos*
> PAX *ades, & toto mitis in orbe mane.*

Sed scilicet Pacis [illegible]sionem Actiacæ victoriæ, & propter ingentem tanti boni impetrati lætitiam.

Apparet in Gemmâ, etiam de vultu toruitas illa

L.35.c.4. M. AGRIPPÆ, cuius meminit Plinius, vbi ait: *Præcipuam auctoritatem fecit publicè Tabulis Cæsar Dictator,* AIACE, *&* MEDEA *ante Veneris Genitricis Ædem dicatis. Post eum* M. AGRIPPA, *vir* RVSTICITATI *quàm delicijs propior. Extat certè eius oratio magnifica, & maximo ciuium digna, de Tabulis omnibusque signis publicandis; quod fieri satius fuisset, quàm in villarum exilia pelli. Verùm eadem illa* TORVITAS *Tabulas duas* AIACIS *&* VENERIS *mercata est à Cyzicenis* HS.XII.M. Quibus verbis & illud constat, sculpturis & tabulis nobilium artificum fuisse delectatum Agrippam, nec tam pretioso affectu Cæsari cessisse; qui etiam laudatur à Tranquillo, quòd GEMMAS, TO-

REV-

REVMATA, SIGNA, TABVLAS *operis antiqui, semper animosissimè compararet.* [a] Ignes enim quosdam natura in heroicis ac generosis animis abscondit, quibus incensi ad Antiquitatis admirationem feruntur. Sed profectò ita est, [b] *Artes desidia perdidit, & quoniam animorum imagines non sunt, negliguntur etiam corporum*: neque mirandum notat [c] Petronius, si pictura defecerit, quo tempore *omnibus Dijs hominibusque formosior videbatur massa auri, quàm quidquid Apelles Phidiasque Graeculi delirantes fecissent.* Dio de eodem Agrippâ in Augusto: AQVAM, *quae* VIRGINEA *vocabatur, proprijs sumptibus in Vrbem adduxit,* AVGVSTAM*que nominauit; quod ita gratum fuit Augusto, vt inopia vini aliquando existente, cùm queritaretur populus, satis prouisum diceret ab* AGRIPPA, *ne quis eorum siti periret.* Frontinus: *Dies quo primùm in Vrbem responderit, v. Iduum Iunij inuenitur: VIRGO appellata, quòd quaerentibus aquam militibus, puella* VIRGVNCVLA *quasdam venas monstrauit, quà secuti qui foderant, ingentem aquae modum inuenerunt.* ÆDICVLA *Fonti apposita hanc* VIRGINEM *pictura ostendit.* Quo loco Andreas Fuluius legit: *Hanc* VIRGINEM PICTAM *ostendit.* Plinius aliam nominis originem assignat: AGRIPPA, inquit, VIRGINEM *adduxit ab octaui lapidis diuerticulo* II. *millium passuum Praenestinâ viâ. Iuxta est Herculaneus Riuus, quem refugiens,* VIRGINIS *nomen obtinuit.* Plinium secutus idem Fuluius: VIRGO, inquit, *ideò dicta, quia refugit Herculaneum, qui est mas.* Cassiodorus, quòd nullis sordibus polluatur: *Cùm enim aliae pluuiarum nimietate, terrenâ commixtione violentur, haec aërem perpetuò serenum purissimè labens vnda metitur.* Vnde & Martialis:

Sed curris NITIDAS *tantùm propè* VIRGINIS *vndas.*

Andreas

[a] Colerus Praefat. in Alexand. ab Alexand.

[b] Plinius lib. 34. c. 2.

[c] In Satyrico.

Lib. 1 de Aquaeductibus.

Lib. 3. de Antiquitatibus Vrbis.

L. 31. c. 3.

Lib. Epistolar. 7.

Lib. Epigram. 7.

Lib. 7. de Thermis cap. 4. Andreas Baccius de eodem Fonte alio sensu: ÆDICVLA VIRGINIS *Fonti apposita. Quod nomen posteà videntur adsciuisse Dianæ, ac Triuiæ nuncupasse, quasi Dianæ Fons diceretur, & Aqua Dianæ sacra: quæ veteribus virgo habita est, & in Triuijs (vt triplex habere dicebatur Numen) celebrari solita, necnon Triplici Fonte; quibus hæc aqua concipitur. Vel (vt quibusdam placet Antiquarijs)* VIRGINIS *nomen indicasse Iuturnam, ac Templum similiter Iuturnæ sacrum: quam Nympham sic dictam (teste Varrone) quòd iuuaret, in votis fuisse habitam asserunt infirmis, qui ex eâ aquâ biberent; sacramque idcirco hanc Ædem ei fuisse constitutam; sed posteà Religione introductâ, in superstitionem præteriti sæculi abolendam, Fontem ipsum simul ac Puteum, qui extat,* D. MARIÆ *Virgini consecratum. Vtramlibet quis eius nominis interpretationem accipiat: verumtamen eo fit magis verisimilis nostra sententia, hunc Fontem fuisse* VIRGINEM *à Diâ & Triuiâ nuncupatum; quod nomen ipsum Ædis* SANCTA MARIA IN VIA, *vulgari, vt videtur, voce mutila dicitur pro* SANCTÆ MARIA IN TRIVIA, *vbi multâ cum deuotione* B. MARIÆ *Virginis etiamnum ea aqua ab infirmis bibitur.*

L. 6. c. 18. Idem alibi: *Fons aquæ* VIRGINIS, *seu Triuiæ, famosus in Vrbe, non aliam videtur eius nominis habere significationem, quàm quòd Dianæ sacer fuerit, quæ & Virgo habita Antiquis, & Nympharum Fontium Regina, ac triplici Numine fingitur, vti triplici pariter hæc Aqua manat fonte.* Sed Frontino magis

Lib. de Restitutione Aquæ Virginis. assentiendum monet Pætus; ac rectè quidem: nam & Gemma fidem adstruit facti à Virgine indicij, Ædiculâ & Statuâ eidem erectis, quæ alioqui de more iacens exhiberetur, manu tenens arundinem, vt AQVA TRAIA-

Plinius lib. 31. c. 3. NA in Nummis: AQVARVM siquidem *sunt notæ* IVNCVS & ARVNDO. Neque verò inter Signa CCC. ærea,

aut

aut marmorea, quæ operibus imposuit Agrippa, præterita videri possit ipsa VIRGO, à qua & nomen Fonti. Indice ori admoto silentium indicit, ac veterum morem, seu potiùs præceptum, signat in aquarum vsu, cuius etiam monumentum extat apud Io. Iacobum Boissardum eleganti hoc carmine: *Parte VI. Antiquitatum Romanar.*

HVIVS NYMPHA LOCI, SACRI CVSTODIA FONTIS
DORMIO, DVM BLANDÆ SENTIO MVRMVR AQVÆ.
PARCE MEVM, QVISQVIS TANGIS CAVA MARMORA, SOMNVM
RVMPERE; SIVE BIBAS, SIVE LAVARE, TACE.

Itemque Romæ apud Saluiatos in Labro Fontis:

NYMPHIS LOCI
BIBE. LAVA.
TACE.

Tametsi Horatius Lymphas *loquaces* appellarit ob strepitum, & gratum illud murmur, quod in decursu solent edere, quoque mirè delectamur, neque aliter quàm cantu aliquo symphoniaco afficimur. *Terent. in Od.13. Lib.3. Carm.*

Ædicula Fonti apposita, non ex ijs, quas INCVSTODITAS appellat Paulus Iureconsultus: nam de aquarum reuerentiâ, custodibus etiam ipsis assignatis, Zeno Imperator: *Vniuersos*, inquit, AQVARIOS, *vel* AQVARVM CVSTODES, *quos* HYDROPHYLACAS *appellant, qui omnium* AQVÆDVCTVVM *huius Regiæ vrbis* CVSTODES *deputati sunt: singulis manibus eorum felici nomine pietatis nostræ impresso signari decernimus: vt huiusmodi annotatione manifesti sint omnibus, nec à Procuratoribus domorum, vel quolibet alio, ad vsus alios auellantur, vel Angariorum, vel operum nomine teneantur. Quòd si quem ex ijs* AQVARIIS *mori contigerit, eum nihilominùs, qui in locum defuncti* *L. Sacrilegi.2.ff.ad L.Iuliam peculatus. L.10.C. de Aquaductu lib.11.*

 surro-

ſurrogatur, ſigno eodem notari præcipimus: vt militiæ quodammodò ſociati, excubijs AQVÆ CVSTODIENDÆ *inceſſanter inhæreant.* Curæ adeò Antiquis fuit Aquæductuum cura, de quibus extat erudita Aldi Manutij Epiſtola ad Ioannem Moronum Cardinalem.

L. 1. de Quæſitis per Epiſtolam.

Adorantium perſonæ in incerto ſunt; ſed Aquas in ipſo ortu adoratas, illiſque ſtatuas & ſacella erecta, vti Virgini in hac Gemmâ, docet Plinius iunior in deſcriptione Clitumni Fontis: *Adiacet* TEMPLVM PRISCVM, *& religioſum.* STAT CLITVMNVS *ipſe, amictus ornatusque prætexta.* PRÆSENS NVMEN, *atque etiam fatidicum indicant ſortes. Sparſa ſunt circa* SACELLA *complura, totidemque* DEI SIMVLACRA, *ſua cuique veneratio, ſuum nomen, quibuſdam verò etiam* FONTES. *Nam præter illum, quaſi parentem ceterorum, ſunt minores capite diſcreti.* De Proclo Philoſopho, & Fonte ſtatuæ Socratis apud Athenienſes, Marinus eiuſdem Procli diſcipulus in eius vitâ: *Cùm ex itinere laſſitudinem ſentiret, ad* SACELLVM SOCRATIS, *cùm nondum ſciret, nec audiuiſſet, quòd aliquo eo in loco* SOCRATES *coleretur, rogauit Nicolaum, maneret ibi pauliſper atque conſideret, & ſi poſſet alicunde, aquam ſibi miniſtraret; laborabat enim, vt dicebat, magnâ ſiti. Statim ille, idque non aliunde quàm ex ipſo conſecrato loco curabat adferri; neque enim procul aberat* FONS STATVÆ SOCRATIS. *Bibenti tum ei Nicolaus, idque tum primùm conſiderans, Omen hoc eſt, inquit, quòd in* SACELLO SOCRATIS *conſederis, & inde primam aquam Atticam biberis Tum ille conſurgens, atque* EXHIBITA REVERENTIA, *ad ciuitatem pergebat.*

Lib. 8. Epiſtolarum.

SACRI FONTES dicuntur Martiali,

Nympharum pariter Nereïdumque domus.

Lib. 4. Epigr. 44.

Et

Et Romæ ad portam Latinam:

NYMPHIS
QVÆ SVB COLLE SVNT
ARVLAM
MVMIA CANTERIA
NVMINI
ADIVT. DEVOT.
CVM STATVA
ISIS
ET TABVLATO.
D. D.

Apud Gruterum inſcriptiones inuenies

NYMPHIS DVLCISSIMIS, SALVTIFERIS, SANCTISSIMIS.
FONTI DIVINO.
GENIO NVMINIS FONTIS.

Etiam in quibus ſit mentio Ædiculæ poſitæ.

VTICÆ, vulgò *Vſetz.*

SEX. POMPEIVS. I. COGNOMINE PANDVS
QVOIVS ET HOC ABAVIS CONTIGIT ESSE SOLVM
ÆDICVLAM HANC NYMPHIS POSVIT, QVIA SÆPIVS VSSVS
HOC SVM FONTE SENEX TAM BENE QVAM IVVENIS.

FONTINALIS Dei meminit Plautus in Sticho, vnde & FONTINALIA SACRA, & illa Tibulli:

Caſta placent Superis, purâ cum mente venite, Lib. 2.
Et manibus puris ſumite FONTIS *aquam.* Eleg. 1.

Seneca: MAGNORVM FLVMINVM CAPITA *veneramur,* Epiſt. 4. *ſubita, & ex abdito* VASTI AMNIS *eruptio* ARAS *habet.* De Fontibus Plinius: *Augent numerum* DEORVM *nominibus varijs, vrbesque condunt; emicant paſſim benignè, nec in vllâ parte naturæ* MAIORA MIRACVLA. Iulius Frontinus L. 31. c. 2.

de Aquæductibus: FONTIVM MEMORIA CVM SANCTITATE *adhuc extat, & COLITVR: ſalubritatem enim ægris corporibus adferre creduntur, ſicut C. Amaranus Apollinaris*
a *L.6.c.28.* *meminit.*[a] Andreas Baccius de Thermis: *Omni ſui parte* NASCENTES AQVÆ *aliquam præ ſe ferunt* DIVINITATEM.
Spondanus in Heſiodi Opera & Dies: *Cùm,* inquit, *in Aquæ vſu maxima vitæ pars ſit collocata, meritò videntur ei tot honores tributi, eiuſdemque meriti ratione ab Heſiodo ſanciri, ne quis Fluuium aut Fontem permingat, aut oleto ſuo conſpurcet.*
Idemque credidit *Fluuios Fonteſque Dijs ſacros, ob illam, ex ſuâ in curſu perennitate, æternitatis imaginem.* Quod aſſerüit
b *In Odyſ. lib.2.* [b] Euſtathius, Fluuios nimirum ἱροὺς διὰ τὸ ἀέναον· *Sacros ob perennem curſum.* Quin & [c] Philoſtratus in vitâ Apollonij
c *Apud Creſollium lib.2. Myſtagogi.* monere audet, & hortari vnumquemque ἀξιοῦν τὰς πηγάς, *vt fontes votis & precationibus dignentur* Θεῖαι γάρ· *quòd Diuini ſint.*
d *Chabotius in l. 3. Carm. Horatij Od. 13.* [d] Vim enim maiorem Numinis illuc incluſam eſſe credebant, quàm in res alias omnes, quâ Fontes ipſi mouerentur, & agitarentur. *Gaudent,* inquit [e] Latinus Pacatus, *Diuina perpetuo motu, & iugi agitatione ſe vegetat Æternitas.*

e *In Panegyrico ad Theodoſiũ.* Hinc religioſi cultus causâ in Ædiculæ atrio appenſa phiala, ſeu lucerna vitreo vaſi incluſa, cuiuſmodi à ſe viſam teſtatur [f] Io. Baptiſta Porta. Quæ vetus ac veterrima
f *L.12. de Magiâ natur. c. vlt.* ſuperſtitio Chriſtianos ipſos infecit, damnata à Concilijs
g *Sauaro in Carmen 5. Sidonij Apollinar.* [g] Toletano, Antiſſiodorenſi, Nannetenſi, & alijs, in quibus eâ ſuperſtitione imbuti vocantur ACCENSORES FACVLARVM, & EXCVLTORES FONTIVM. [h] Burchardus quoque:
h *L.8.c.94. Interrog. 42.* *Vel ſi aliquis vota ad arbores, vel* AD FONTES, *vel ad lapides faciat, aut ibi* CANDELAM *ſeu quodlibet munus deferat, veluti ibi quoddam* NVMEN *ſit, quod bonum aut malum poſſit inferre.* Et [i] Carolus Magnus in Capitularibus: *De arboribus, vel*
i *L.1.c.64.* *petris, vel* FONTIBVS, *vbi aliqui ſtulti* LVMINARIA *vel alias*

alias obseruationes faciunt, omnino mandamus, vt iste pessimus vsus, & Deo execrabilis, vbicumque sit, tollatur, & destruatur. Quod iam factum æuo suo Prudentius gloriabatur aduersus Symmachum: Lib.2.

Exercere manum non pœnitet, & lapis illic
Si stetit antiquus, quem cingere sueuerat error
Fasciolis, aut gallinæ pulmone rogare,
Frangitur, & nullis violatur TERMINVS *extis.*
Et quæ fumificas ARDOR *vittata* LVCERNAS
Seruabat, cadit vltrici succisa bipenni.

Verba Prudentij mirè illustrat, & verò etiam facit in rem nostram vetus hæc Gemma, quam præterijsse religio fuerit. In eâ siquidem sacrificium DEO TERMINO, & ARBORI, cum LVCERNA templi medio suspensa, neque hodiernis nostris multum absimili.



Flamma symbolum est diuinitatis, naturâ quâdam magnificâ & cælesti, quæ à terræ se communione seuocans in Cresollius lib.3. Mystagogi c.21. sect.3.

in altum fertur; vt non sit mirum, si veteres communi quodam afflatu impulsi, in Religionibus, quas sanctissimas omnium putauerunt, vt proprium Numinis munus, & Diuinitatis illustrem characterem, ignem adhibuerint. Hicque adeò sensus nationum communis, exutâ superstitione, atque impijs erroribus, sapienter fuit ab Ecclesiâ ad Religionem traductus.

Rutilius in Itinerario.

Infra Ædiculam Aquæ Virginis videre est

——*Aërio pendentes fornice riuos.*

Quò videlicet aqua subiret crebrò, descenderetque, ne libramenta perirent: atque hos ipsos arcus, & ductus à C. CÆSARE disturbatos TI. CLAVDIVS restituit, appositâ etiam inscriptione ad radices Pincij montis:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CÆSAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIFEX. MAX. TRIB. POTEST. V. IMP. XI. PP. COS. DESIG. IIII. ARCVS. DVCTVS. AQVÆ. VIRGINIS. DISTVRBATOS. PER. C. CÆSAREM. A FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC. RESTITVIT.

Item alibi ad Trinitatis Ædem in Hortis:

I.
VIRG.
TI. CÆSAR. AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XXXVIII.
COS. V. IMP. VIII.
I.
P. CC. XI.

Et iterùm:

VIRG.
TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CÆSAR. AVG. GERMANICVS
TRIBVNIC. POTESTAT. IV. COS. III. IMP. VIII. PP.
I. P. CC. XI.

Obibat

Obibat Campum Martium ex teſtimonio Ouidij in Faſtis:

Te quoque lux eadem Turni ſoror Æde recepit:
Hic vbi VIRGINEA *campus obitur* AQVA.

Et ſigna adhuc apparere tradit Andreas Fuluius. Mediâ *Lib.3.de* palude conſiſtit opus arcuatum; quod, vt ait Frontinus, *Antiquitat. Vrbis.* concipiebatur viâ Collatiâ ad milliarium octauum, PALVSTRIBVS LOCIS, ſignino circumiecto, continendarum ſcaturiginum causâ. Sed eius voluptatem Vrbi perijſſe conqueritur Plinius, *ambitione auaritiâque in villas ac ſuburbana decoquentibus publicam ſalutem.* *L.31.c.3.* Vnde & ſeueriſſimæ leges latæ ab Imperatoribus in eos, qui vetiti *L.1.&4.C* furoris audaciâ, florentiſſimæ vrbis commoda violaſſent, *de Aquæductu* aquam ad ſuum fundum ex aquæductu publico deri- *lib.XI.* uando, quique ad irrigationes agrorum, vel hortorum delicias, furtiuis aquarum meatibus abuſi eſſent. Certè ab initio tantâ copiâ fluxiſſe conſtat Aquam Virginem, vt Balneorum etiam ac Nympheorum commodis inſeruiret: *Nouo anno,* inquit Seneca, *quemadmodum legere, ſcribere, dicere aliquid, ſic auſpicabar in* VIRGINEM *deſilire.* *Epiſt.83.* Et Statius de Balneo Etruſci: *Lib.1.Syluar.*

Vos mihi, quæ Latium, ſeptenaque culmina Nymphæ
Incolitis, Tibrimque nouis attollitis vndis,
Quos præceps Anien, atque exceptura natatus
VIRGO *iuuat.*

Martialis Epigrammate de eiuſdem Etruſci Thermis: *Lib.6.*

Ritus ſi placeant tibi Laconum, *Lib.11.*
Contentus potes arido vapore, *Epigr.48.*
CRVDA VIRGINE, *Martiâque mergi.* *L.de parua pila*

Idem alibi: —— *Perfundi* GELIDA VIRGINE. *ludo. Vide*

[illegible] *Plinium*

neis lauari consueuisse, quod similiter innuit Martialis eo alio versu, quo calidis thermis gelidissimam Virginem opponit:

Lib. 4. *Redde pilam, sonat* ÆS THERMARVM, *ludere pergis?*
VIRGINE *vis solâ lotus abire domum?*

Hieron. Mercurialis lib. 1. Gymnastic. c. 10. Nam dum hora balneorum appropinquaret, tintinabulo quodam significabatur, quo pilæ lusores, atque alij exercitatores statim accurrerent; alioqui in gelidissimâ Virgine, iam clausis thermis, lauabantur.

Iam verò hæc ipsa Aqua Virgo toties veluti consecrata, quoties restituta, nouis operibus ornata à sanctissimis Christi Vicarijs Romanis Pontificibus, cuius perfugio salutari ciues vterentur tamquam medicinâ. Ita profectò Augustior quàm vmquam, non subiuit modò, sed superauit altitudinem exortus sui. Georgius Agricola de naturâ eorum, quæ effluunt ex terrâ: *Frigus Martiæ*, & VIRGINIS, *laudibus effertur; sed Martiæ canalis vetustate labefactatus concidit, durat* VIRGINIS *à* NICOLAO V. *Pontifice restitutus; de quâ Ouidius:*

Nec vos Campus habet, nec vos GELIDISSIMA VIRGO.

Sed præstat audire Lucam Pætum Iurisconsultum Romanum, qui libro singulari de eius restitutione factâ à PIIS Pontificibus QVARTO & QVINTO: HADRIANVS I. inquit, *patriâ Romanus, Pontifex Maximus, domitis iam afflictisque Longobardis, anno à Christi Seruatoris nostri natali circiter* DCC.LXXVI. *vt Platina refert,* VIRGINIS *aquæductum cum alijs Vrbis aquæductibus restituit, quem non multò pòst dirutum in tantâ rerum, quæ successit, calamitate credendum est, nec vlteriùs restitutum fuisse inueni. Nam quod legitur in inscriptione, quæ ad publicas Triuij fistulas apposita est:* NICOLAVM V. *aquæductum* VIRGINIS

resti-

restituisse, id à viá Salariá citrà factum fuisse intelligo, vnde acquisitiones, & scaturigines, quæ ad nostra vsque tempora fluxerunt, initium sumunt. Nam si NICOLAVS *opus arcuatum restituisset, ductumque purgasset, non ita vt à nobis inuentum est (vix annorum centum spatio intercedente, nullis Vrbis obsidionibus intermedijs) quantáuis hominum negligentiá dirui aut aboleri potuißet.* Hæc Pætus, addito ad finem operis sui Epigrammate, vmbilici loco:

VIRGINEOS *olim* CÆSAR, FRONTINVS, AGRIPPA
Aduexit, scripsit, restituit latices.
Hæc eadem nostro miramur tempore: QVARTVS
Quas PIVS *ex magná parte reduxit aquas,*
Perficit, & vená fecundat diuite QVINTVS.

Romæ extra portam, vulgò *Del Popolo*, ad eumdem fontem, quo villa Iulia, seu Virgineis gratijs irrigatur, hoc quoque inscriptum est Decreto IVLII PP. III.

AQVAM HANC, QVOD VIRGO EST,
NE TEMERANTO,
SITIMQVE FISTVLIS, NON FLVMINE,
POCVLIS, NON OSCVLO AVT VOLIS
EXTINGVNTO.

Ciaconius de Gestis PII IV. *Aquam Saloniam, olim* VIRGINEAM *appellatam, in Vrbem reduxit.*

Andreas Baccius: *Huius tam* [illegible]

Denique ætate noſtrâ Romæ in Agonali Foro:

INNOCENTIVS X. P. M.
OBELISCO ÆGYPTIO QVATERNIS FONTIBVS
EX AQVA VIRGINE DEDVCTIS IMPOSITO,
NATALI DOMO PAMPHILIA
MAIOREM IN AMPLITVDINEM EXTRVCTA,
AGONALE FORVM AMPLIFICATVM EXORNAVIT:
VRBI ROMÆ MAIESTATEM
ANTIQVÆ PVLCHRITVDINIS ÆMVLAM
RESTITVIT.

HERMETICVM OBELISCVM
A SOTHI REGE HELIOPOLI ERECTVM,
AB IMPERATORE CARACALLA ROMAM DELATVM,
INTER CIRCI CASTRENSIS RVDERA
IACENTEM FRACTVMQVE,
INNOCENTIVS X. P. M.
AD ORNANDVM ERVDITIS ÆGYPTIORVM MYSTERIIS
AQVÆ VIRGINIS FONTEM
TRANSTVLIT, INSTAVRAVIT, EREXIT.

INNOCENTIVS X. P. M.
AMOENAM SALVBRITATEM CVM MAGNIFICA
ERVDITIONE CONIVNGENS,
LITERATVM HERMETICIS ÆNIGMATIS LAPIDEM
AQVÆ VIRGINIS FONTI IMPOSVIT,
AD SEDANDAM CORPORVM,
ET ACVENDAM INGENIORVM
SITIM.

Dici

Dici, vel ſcribi magnificentius nihil poteſt, quo Aqua tantoperè celebrata conſecretur æternitati. Atque adeò id ipſum quæri, inueniri, aſſeri, Rei Antiquariæ viſum eſt, vt ſatis ſit vna aliqua Gemma aperiendo capiti Fontis, in cuius ornatum tot Imperatores & Pontifices Maximi contulerunt; de quo ſi plura congeram, videar cum Ruſtico Horatiano expectare dum defluat, aut certè relictâ maieſtate Auguſti Fontis, riuulos conſectari. Et verò etiam BEATISSIMI PATRIS, SANCTISSIMI ALEXANDRI *(qualis decebat vt nobis eſſet Pontifex)* opera maxima calamum ſcribentis plus nimio deterrent, quo tempore Romanam magnitudinem nouis indies auget admirandis, & reſtaurato Fonte S. MARIÆ trans Tiberim, alijſque non paucis, MAGNVM CONSTANTINVM Vrbi reſtituere parat, & ſigna illuſtriora omnia, viuis certantia vultibus, ac plena antiquæ veræque pulchritudinis: *Quales ſunt*, inquit Themiſtius, IMAGINES VETERIS ARTIS, *quæ ad admirandum indigent tempore accuratiſque oculis.*

Hebr. 7.

Orat. de Amicitiâ.

FINIS.

IOANNI CHIFLETIO CANONICO TORNACENSI NICASIVS FABIVS CANONICVS ATQVE OFFICIALIS TORNACENSIS.

Pulchrè MVRCIAM *à Te & laribus tuis exulare iubes, Præstantissime Chifleti: post emaculatum nuper* SOCRATEM, *ecce* AQVAM *nobis* VIRGINEM *promis, quæ viro maximo Cæsaris Augusti genero, ac complurium Christianæ Religionis Pontificum Maximorum famæ & gloriæ Te coniunget. Egregium scriptionis argumentum* AQVA VIRGO. *Quod igitur famigerabilis Fontis originem aperis, ab eruditione tuâ est; quod* AQVAM *nobis* VIRGINEM, *atque antiquâ Religione sacram, & prisco ritu in capite adoratam illustras, ab ingenij elegantiâ. M. Agrippæ in almam Vrbem eam deduxisse gloriosum fuit; quamuis labentium sæculorum iniuria fatalem illi interitum, ne seruato quidem nomine, inuenerit. Collapsos ductus reparasse, Pontificum Maximorum æterna laus esto. Sed his tamen, quippe senij vitio obnoxijs, & ætate caducis, & opere pendulis, etiam temporum reuoluta periodus quandoque grauiter incumbet. Quod hoc Opusculo nobis præbes, à litterarum præsidio æternum erit.*

Et ne quid desit, quo sæculum magis erudiatur, proponis nobis ectypum Gemmæ Rubenianæ, in quâ VIRGINIS *signum, & ædiculam* VIRGINI *positam intuemur. Quis igitur Fontem hunc deinceps ignorabit? Iam campus Martius, iam Niloticæ columnæ, è quibus perpetuâ eruptione hac* AQVA *promicat, Chifletium loquentur. Per se suauior illa, & formosior*

*ſior ſe exeret, quia notior: & PAMPHYLIIS Proceribus offi-
cioſo ſuſurro diffluenter Te commendabit.*

Enimuerò, quia AQVA *illa in vſus olim Thermarum deriua-
ta fuit, viſum eſt hîc Tibi vas æneum meum, Romani ſcilicet
æui ſtylo, & iconiſmo adumbrare, & quo loco, quâ occaſione re-
pertum fuerit, aperire. Commodùm Illuſtriſſimus* CAROLVS
CROYVS *Dux Areſcoti, & Comes Bellimontis, oppiduli huius
foſſas ad orientem ſpectantes expurgari & prolatari iuſſerat,
anno* ∞. IↃC.VI. *eo certè tempore, quo vir ſpectatiſſimus
Nicolaus Fabricius Peireskius in celeberrimâ hac domo dictum
Principem inuiſit. Dum igitur foſſores terram egerunt, &
foſſas ampliant, complura vaſcula priſci æui in foſſarum ac
viæ prætercurrentis margine, multis ciuibus opus ſpectanti-
bus, reperêre. In his parens meus hoc vaſculum non ſatis ad-
huc deterſum, ſed quidquid demum eſſet (quod enim alia vaſa
inſolita, & æuo noſtro aliena iam deterſa conſpexerat) oblatis
nummulis ſibi comparauit. Aliȷ alia ſimiliter ſua fecerunt. Eſt
autem ex ære præſtantiſſimo, & tunc, cùm reperiretur, aura-
tum: catenulamque habuit, ad pedes tres longam, quâ ſuſpende-
retur. Patet per diametrum pollices* XVII. *pendetque li-
bras* IIII. *& quadrantem. Forma illi orbicularis, peluis ad mo-
dum: labrum oppidò modicum. Auratum, vt dixi, fuit; ſed fa-
mulæ domeſticæ dum illi nitorem accerſere nituntur (ærugo
enim inuaſerat) omne aurum extrïuere; catenulamque ærugine
confectam, & nulli poſthac vſui futuram, fregere, relictâ par-
ticulâ quâ labro vaſis committebatur. Marculo pulſatum, mi-*

Sed ecce Iconiſmum.



At tu porrò illo fruere, amicorum antistes vnice, & ERVDITÆ PIETATIS *Te virum ostendere perge. Tornaci* XIIII. *Kalend. April. anno Christiano* ∞. IↃC. LXII.

Imprimi poteſt

Guilielmus van Hamme
Canon. & Scholaſt. Antuerp.
libr. Cenſor.